



**Francisci Monacelli Eugubini J. U. D. Protonotarii
Apostolici, olim Ecclesiæ Venusinæ, ac deinde Æsinatis
Vicarii Generalis, &c. Formularium Legale Practicum Fori
Ecclesiastici**

In Quo Formulæ Expeditionum usufrequentium de his, quæ pertinent ad Officium Judicis nobile, continentur ; Opus Episcopis, Vicariis Generalibus,

Aliisque Iurisdictionem quasi Episcopalem exercentibus: necnon Confessariis, Parochis, Cancellariis, cæterisque in dicto Foro versantibus,
apprimè utile ...

In qua præter formulas Declaratoriarum Censurarum, ponuntur aliæ formulæ, tum Citationum, ac Monitionum pro validitate processuum requisitarum, tum Decretorum, aliorumve actuum ad opportunitatem, & ornatum materiæ incidentium; acceditque in calce Appendix miscellanea, plura, ad Gubernium ...

Monacellus, Franciscus

Venetiis, 1709

§. XIV. De cessatione à Divinis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62433](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-62433)

- ³⁵ 139 Interdictum generale , locale , vel personale jure communi latum non reservatum , potest tolli ab Episcopo , ac suspendi ad tempus ; vel ab alio habente jurisdictionem , quasi Episcopalem in Communitatem interdictam , Bonac. loc. cit. num. 5. Pirhing. d. n. 252. non tamen illud tollere posset , si esset latum à Papaâ tanquam ab hominâ , Bonac. d. num. 5. vers. dixi Guazzin. jun. ad defens. animar. lib. 2. def. 6. cap. 43. num. 33. Nicol. lucubr. can. lib. 5. tit. 39. n. 236. §. 3.
- ³⁶ 140 Interdictum locale , aut personale Communatis non reservatum , non tollit absolutio Parochi , aut alterius Confessarii : quia locus , & Communitas foro pœnitentiae non subjiciuntur : imò mihi omnino verum viderut , quod Parochus , cæterique Confessarii , non possint neque ab Interdicto personali particulari absolvere prout ita tenet Sayr. dict. lib. 5. dict. cap. 15. numer. 22. Nam (quidquid dicant Bonac. loco citato num. 6. vers. respondeo tertio , Pirhing. d. n. 252.) ut dixi in titulo de absolutione excommunicationis , censuræ auferri non possunt per absolutionem , seu relaxationem ejus , qui jurisdictionem in foro externo non habet , ut ex Suar. inquit Guazzin. d. c. 43. num. 32.
- ³⁷ 141 Neque dici potest , quod si Parochus , seu alius Confessarius ab Interdicto personali , aliave censura non reservata non possit absolvere , frustra in ordinaria formula absolutionis Sacramentalis , Ecclesia apponaret illa verba - *absolvo te ab omni vinculo excommunicationis , suspensionis , & interdicti :* tum quia additur - *in quantum possum :* tum quia intelligitur de excommunicationibus , & interdictis ignoranter incursis ; tum quia intelligitur de absolutione quo ad culpam , & coram Deo , non autem quo ad forum Ecclesiæ : tum demum quia si Confessariis facultatem absolvendi à Censuris non reservatis jure competet , frustra Papa Regularibus , & aliis nonnullis suo privilegio concederet , ut possint absolvere à censuris sibi , & Ordinariis non reservatis in foro conscientiae tantum : cum verè frustra precibus impetretur , quod jam jure communi conceditur , lib. I. §. Celsus ff. ad municip. glo. in c. I. vers. ut libere de rescript.
- ³⁸ 142 Interdictum generale locale , non potest relaxari ad cautelam , ut habetur in c. præsenti 10. de sent. excom. in 6. Interdictum verè personale speciale sic : quia homini specialiter interdicto negantur Sacra menta , sicut excommunicato , & ideo potest etiam absolvi à tali Interdicto ad cautelam , Bonaccin. loco supra citato n. 9. Pirhing. n. 253. vers. ult.
- 143 Interdictum ab Episcopis Suffraganeis latum , Archiepiscopus regulariter tollere nequit , nisi ei id ex præscripta consuetudine competit : vel nisi Suffraganei non servata forma juris aliquem indebet interdixerint , & Archiepiscopus , per viam recursus interdictum relaxet , Sayr. dict. c. 15. num. 21. & 22.
- 144 Interdictum relaxans partes vocare , & juramento de stando mandatis Ecclesiæ exigere debet : quia ante absolutionem præcedere debet satisfactio partis , vel saltem cautio de satisfaciendo , prout supra dictum fuit de absolutione suspensionis , Sayr. d. lib. 5. d. c. 15. num. 26. Et ex hoc infertur , quod si Parochus , vel alius Confessarius ab interdicto personali absolvere possent (ut plures DD. dicunt) evenirent inconvenientia , si hæc exigenda , & præstanta essent in foro pœnitentiali .

De cessatione à Divinis. §. XIV.

De cessatione à Divinis , quæ affinis est Interdicto , pauca hic sunt addenda . Hæc enim est Ecclesiastica prohibitio , ob quam Clerici cessare debent in certo loco , à Divinorum officiorum celebrazione , & Sacramentorum administratio ne , & est quid facti , & omnes nocentes , quæm innocentes respicit , & solum ab homine imponitur .

Cessatio igitur à Divinis duplex est ; ¹⁴⁵ alia est generalis , qua prohibentur divina in loco universalis : ut in Regno , Civitate , Castro , Villa , alia est particularis , ut in una , vel pluribus Ecclesiis , differt ab Interdicto locali , primò , quia cessatio à Divinis , non est Censura , sed simplex prohibitio , quæ , & suspensio Organorum) scilicet laudis Di-

C 2 vinæ

vinae) nuncupatur, facta in signum gravissimi doloris, quem Ecclesia concipit, ob enormem aliquam injuriam sibi, aut honori Divino illatam. Secundo, quia cessatione à Divinis non afficit personam secundum se, sicut afficit Interdictum. Tertio, quia Clericus violans cessationem à Divinis, licet graviter peccet, non tamen incurrit irregularitatem, quam incurrit si violet Interdictum per exercitium sui ordinis.

¹⁴⁷ Tempore cessationis à Divinis, non persolvuntur publicè horæ Canonicae: non celebrantur missæ, nisi semel in hebdomada ad renovandam Eucharistiam: possunt tamen conferri Sacraenta Baptismi, Confirmationis, & Pœnitentiae, tam sanis, quam infirmis: Eucharistia verò infirmis tantum, Extremæ Unctionis Sacramentum nulli, Ordinis, nisi urgente necessitate conferri non potest. Matrimonium contrahi potest, benedici tamen nequit. Clerici omnes sepeliri possunt in Cœmeterio: laici verò Ecclesiasticae sepulturæ non sunt dandi. Violantes autem cessationem generalem à Divinis, impositam ab Ordinario loci, vel à Sede Apostolica, vel à Concilio Provinciali, vel ab alio auctoritatē habente, si eam servet Cathedralis, vel Matrix, seu Parochialis loci, Religiosi exempti excommunicationem ipso facto incurront, ut habetur in Clem. 1. de sent. excomm. cæteri verò graviter peccant, etiam violando particularem.

¹⁴⁸ Utitur autem Ecclesia cessatione à Divinis, ob injuria susceptae propulsionem: quæ injuria debet esse gravis, notoria, & manifesta, & cum contumacia conjuncta, ut quos aliis censuris, & mediis vincere, corrigere, & ad pœnitentiam inducere non potuit, saltem hoc tam ingenti doloris sensu, rebelles extreuantur.

¹⁴⁹ Porro, qui interdictum, is etiam cessationem à Divinis potest indicere, ac etiam aliis, cui id ex privilegio, vel consuetudine præscripta habet, in quo tamen casu, requiritur Episcopi consensus, & concursus requisitorum, quæ habentur in cap. irrefragabili 5. Cæterum de offic. ord. & in cap. si Canonici, & cap.

quamvis eod. tit. in 6. Nam qui non habet jurisdictionem ordinariam ad ferendas censuras, nec cessationem à Divinis potest inducere, nisi servatis conditionibus, in citatis juribus contentis, quas enumerat Sayr. d. lib. 5. cap. 18. à num. 13. cunseqq. in cessatione autem ab Episcopo jure ordinario imposta, solùm sufficit, quod causa sit gravis ut præmissum est, Nicol. lucubr. can. lib. 5. tit. 39. num. 206. vers. quæ conditions.

Forma autem verborum, qua imponenda sit cessatione à Divinis, est similis formæ Interdicti loci, nimirum --- Nos &c. ob talem causam, Civitatem, Villam, aut Ecclesiam talem, à Divinis officiis cessare præcipimus, Sayr. d. c. 18. n. 11. Forma verò tollendi cessationem non reperitur à jure præscripta, sed sufficit, quod Iudex Ecclesiasticus, qui eam indixit, vel ejus Superior; aut successor, verbis suam voluntatem explicet: nam cum hæc prohibito non sit à jure, sed ab homine feratur simpliciter debet etiam simpliciter tolli.

Causa materialis proxima, & sufficiens ad imponendam cessationem potest esse, editio statuti contra libertatem Ecclesiasticam: impositio taleæ, seu collectæ Clericis. detentio Presbyteri per JUDICEM SECULAREM: & alia delicta laicorum similia, quæ arbitrio Judicis Ecclesiastici gravia, & sufficientia censeantur, Sayr. d. cap. 18. n. 12. Bonac. decis. censur. disp. 6. punct. 2. n. 5.

Antequam tamen ob prædictas causas ¹⁵³ Iudex Ecclesiasticus, cessationem à Divinis imponat, debet admonere illum, ob cuius culpam ferenda est cessatio, ut pareat, & satisfaciat Ecclesiæ: sicut enim admonitio requiritur in ferendis censuris, ita etiam necessaria videtur in ferenda cessatione, quæ fertur, ut reus recedat à contumacia. Hæc de cessatione à Divinis tradunt, Sayr. lib. 5. cap. 17. & cap. 18. per tot. Bonaccin. de censur. disput. 6. punct. 1. 2. & 3. per tot. Guazzin. ad defens. anim. lib. 2. def. 6. cap. 43. num. 57. seqq. Nicol. lucubr. can. lib. 5. tit. 39. num. 244. cunseqq. Pirhing. in jus can. lib. 5. tit. 39. num. 262. & 263.

Quibus adde, quod qui privilegium ¹⁵⁴ habet audiendi Divina officia tempore In-

Interdicti , non ei suffragabitur , ut tempore cessationis à Divinis illa audire possit : quia magis cessandum est à Divinis tempore cessationis , quam Interdicti , Bonacini . ubi supra punct. 3. num. 1. Syst. cap. 19. num. 15. Neque qui privilegium habet illa audiendi tempore cessationis generalis , continuò audire poterit tempore cessationis particularis , ut inquit in utraque propositione Graff. decif. aur. part. I. lib. 4. cap. 28. num. 3. quod prius dixerat Navar. in sæpè supra citato cap. 27. num. 189.

De Irregularitate §. XV.

155. Licet irregularitas non sit propriè censura , tamen quia ex violatione Censurarum sæpè promanat : ideo de ea aliquid dicendum venit .

Est irregularitas inhabilitas , sive impedimentum canonicum suscipiendo ordines , vel susceptos administrandi , & ea Beneficia obtinendi , quæ propter officium conceduntur : dicitur impedimentum canonicum , quia inhabilitas à natura , aut à jure Divino proveniens dispensari non potest , nec propriè est irregularitas , qualis est amentia , quæ est inhabilitas à natura , & sexus femineus , & infidelitas , quæ est inhabilitas à jure Divino , ut docent DD. communiter .

156. Præterea irregularitas inducitur non ab homine , sed solum à jure : & regula est , nullam irregularitatem incurri nisi in casibus in jure expressis : quod si dubitatio aliqua incidat , sive de jure , sive de facto , in foro contentioso negandum est semper : at in foro conscientiae , tam in dubio facti , quam juris potius affirmandum est , aliquem esse irregularem , Fagn. in c. si confiterit n. 50. & 51. de accusat.

157. Omnis irregularitas dividitur in eam , quæ est pura inhabilitas sine ulla culpa subjecti irregularis , ex qua immediate provenit , & dicitur irregularitas ex defectu , & nonuplex est . Prima ex defectu natalium , quo tenentur omnes extra matrimonium scienter suscepti , quos subsequens non legitimavit , c. tanta qui filii sunt legit . Nam matrimonio non valido , cum bona fide tamen Parentum contracto

Monacelli Form. Pars III.

concepti defectu hoc non laborant , ut dixi tom. 2. tit. 13. ad form. 3. num. 37. Item nati in vero matrimonio , sed ex sacrilegio congressu Conjugum , qui castitatem publicè vovent , aut statum religiosum suscepient , cap. litteras 14. de fil. presb. Item expositi , quorum Parentes ignorantur , juxta tamen distinctionem , quam dedi tom. 2. tit. 12. ad form. 7. n. 6. 7. & 8. Barbol. de jur. Eccl. lib. 1. cap. 11. n. 156. Item Neophyti in ætate adulta baptizati , Bonac. de irregular. disp. 7. quæst. 2. punct. 1. num. 4.

Secunda ex defectu libertatis , quem 158 habent servi , tot. tit. deferv. non ordin.

Tertia ex defectu liberationis , qualis 159 est illorum , qui tenentur pro aliquo officio ad ratiocinia , ut Curatores , Tutores , aliivè , qui publicæ vel privatæ administrationis rationem reddere debent , cap. præterea dist. 51. cap. unico de oblig. ad ratioc. vel operam suam Reipublicæ praestant ex officio , quod gerunt ut sunt Juges , Fiscales , Notarii , Nuncii , can. curiales 53. dist. donec officia retinent . Sperell. decif. 77. n. 11.

Quarta ex defectu ætatis , quales sunt infantes respectu omnium ordinum , etiam 160 minorum , & qui nondum vigesimum primum annum compleverunt respectu Ordinum Sacrorum , & respectu singularum , qui ætatem non attingunt ordini , quem recipiunt , requisitam glos. in Clem. generalem de ætat. & qualit. ordin. Concil. Trident. cap. 12. sess. 23. de refor.

Quinta ex defectu bonæ famæ , sive 161 ex infamia , quæ duplex est , scilicet facti , & juris . Infamia facti oritur ex delicto gravi , & notorio , propter quod delinquentes malè audiunt apud bonos , vel oritur ex facto hominis , nempe cum Judge aliquem infame pronunciat , aut condemnat de crimine , cui est annexa infamia de jure ; sive cum reus in publico judicio satetur tale crimen . Infamia vero juris , oritur , cum leges ipsæ decernunt , quem esse infamem , quales sunt .

Usurarii . Lenones . Simoniaci . Sodomitæ . Apostatae à fide .

Sacrilegi . Prostituentes filias .

C 3 Duas